



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Specvlvm Iuentvtis, Sive Insigniores Pveritiæ Atqve Adolescentiæ Sanctorvm

Bosendorf, Hermann

Monasterii VWestphalorvm, 1615

Amabilis confessor 1. Nouemb.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42900

nocentia ac vitæ puritate transmissis pueritiæ
annis ad pubertatem peruenit, Lector in Ec-
clesia cõstitutus, mox crebris miraculis & sig-
nis cælestibus diuinitus illustratur: tandemq;
propter admirabilem sanctitatem Ecclesiæ
gubernaculis cum Episcopali authoritate præ-
ficitur.

PVERITIA S. AMABILIS CONFES-
soris 1. Nouemb. Sur. Tom. 6.

BEatus Amabilis conuenienti sibi nomen-
clatura diuino nutu ornatus, & à pijs pa-
rentibus apud Ricomagēses literarum studijs
eruditus, ne quam morum labem intra pueri-
tiæ annos incurreret, ad pietatem diligenter
formabatur. Cœperat enim iam tū in ipso Dei
amor gratiaq; succrescere, & mira cælestium
rerum cupiditate inflammari: proindeque in
tenera ætate aspernabatur ineptos puerorum
iocos: & cum Psalmista ad Dominum clama-
bat: Da mihi intellectū & scrutabor legē tuam
& custodiam illam in toto corde meo. Explo-
rabat adhæc ceu strenuus quidā miles, quibus
armis resisteret Diabolo; ne vllis nequitie eius
telis à Christo posset separari. Porro timorem
Domini, qui est initium sapientiæ, alta in pri-
mis mente reposuit, animoq; ad pietatis studi-
um obfirmato, nihil de pristino feruore, re-
misit. Atq; illa frequens in eius ore versabatur
oratio: Domine q me vocari voluisti Amabi-
lẽ, fac me tui perfectum amatorẽ, ne hostis me
huma

*Morum
maturitas.*

*Timor
Domini.*

*Castitatem
tuetur tem
perantia
victus.*

humani generis decipiat, quem tuus spiritus sanctificauit. Dehinc prudenter latam illam spatiosamq; viam, declinans, cum iam adolescentiæ metas attigisset, carnis lasciuia sobrietate domabat. Magna in illo erga Deum proximumq; emicuit charitas: qua fiebat, vt ne latum quidem vnguem à diuinarum legum præscripto recederet, essetq; totus Deo sanctisque eius amabilis. Huc accedebat, quasi consertis se manibus prensans ceterarum virtutum chorus, grato pudici animi fruens contubernio.

Virginitas.

Cumq; id genus polleret animi ornamentis, per gradus ordinum ascendit, ad sacram sacerdotij dignitatem, virginitatis thesauro non amisso, quæ in eius pectore optatum Christo præstabat hospitium. Factus vero sacerdos, sæpe in orationibus pernoctans, pauperes munifica liberalitate fouens: cunctosq; ad amorem Dei suauissimis adhortationibus impellens, dignè Deo deseruijt, illud identidè inculcans: *Sanctorum charitatem non tepescere, sed in Christo crescere oportere.*

Charitas.

VITAE EMERICI B. STEPHANI
Hungarorum Regis filij. 4. Nouemb.
Sur. Tom. 6.

Beatus Emericus nobilissima prosapia Stephano Hungarorum Rege & Apostolo, & Gysela S. Henrici Imperatoris sorore ortus est. Qui parentibus sanctitatis studio nequaquam inferior, somni parcissimus, cæteris dor-